

(a) JACOPO DE VORAGINE, *Legenda aurea (de sancto Ambrosio)*

quadam vice, ut aiunt, cum beatus Ambrosius Romam pergeret et in quadam villa Tusciae
 3 apud quendam hominem nimium locupletem hospitatus fuisset, illum hominem super statu
 suo sollicite requisivit. cui ille respondit: «status meus, domine, semper felix existit et
 gloriosus. ecce enim divitiis infinitis abundo, servos et famulos quam plures habeo et omnia
 6 semper ad vota habui nec umquam mihi aliquid adversum accidit vel, quod contristaret,
 evenit.» quod audiens Ambrosius vehementer obstupuit et his, qui erant secum in comitatu,
 dixit: «*surgite* et hinc quantocius fugiamus, quia Dominus non est in loco isto. festinate, filii,
 festinate nec in fugiendo moram facite, ne nos hic divina ultio apprehendat et in peccatis
 9 illorum pariter nos involvat.» cum ergo fugerent et aliquantulum processissent, subito se terra
 aperuit et hominem illum cum universis, qui ad illum pertinebant, ita absorbit, ut nullum
 inde vestigium remaneret. quod cernens Ambrosius dixit: «ecce fratres, quam misericorditer
 12 Deus parcat, cum hic (= adv.) adversa tribuit, et quam severe irascitur, cum semper prospera
 elargitur.» in eodem autem loco fovea quaedam profundissima remansisse dicitur, quae usque
 hodie in huius facti testimonium perserverat.

1 quadam vice = auf einen gewissen Schicksalswechsel hin → einst; Tuscia,ae f. = Land der Tusker → Etrurien (heute: Toskana); 3 existo, is, ere, stiti = sich zeigen, entstehen → Pf.: sein; 5 contristo, as, are = betrüben, traurig stimmen; 11 obstupesco, is, ere, stupui = verblüfft werden, in Staunen geraten; 13 elargior, ieris, iri, itus sum = spenden, verschenken; fovea, ae f. = Grube

(b) Liv. 6,33: Wundersame Rettung des Tempels der Mater Matuta

ira et rabies Latinorum, quia nec Romanos bello laedere nec Volscos in armis retinere
 potuerant, eo erupit ut Satricum urbem, quae receptaculum primum eis adversae pugnae
 3 fuerat, igni concremarent. nec aliud tectum eius superfuit urbis, cum faces pariter sacris
 profanisque inicerent, quam Matris Matutae templum; inde eos nec sua religio nec verecundia
 deum arcuisse dicitur sed vox horrenda edita templo cum tristibus minis ni nefandos ignes
 6 procul delubris amovissent.

2 receptaculum, i n. = Zufluchtsort; pugna adversa = Schlacht mit unglücklichem Ausgang → Niederlage; 3 fax, facis f. = Fackel; 4 verecundia, ae f. = Scheu, Zurückhaltung → Ehrfurcht; 5 tristis, is, e = zornig, schrecklich; minae, arum f. = Drohungen; nefandus, a, um = ruchlos, gottlos, 6 delubrum, i n. = Tempel, Heiligtum